

1736. Sept. 30.

57

Alphonso Des Vignoles

16.

S. P. Q.

Theophilus Sigefr. Bayer

Litteras tuas pridie Kal. Aug. datas, pridie Kal. Octo-
bres, hoc ipso, inquam, die Sedino. recepi. Initium earum
est in concertatione positum. Hic ego vero ad intentatam
de nomine Astronomi Regii titulum, factam, quae me nu-
niam, oppono. Ita multi, qui Berolino huc aduenda-
runt, quosque de te et optimo nostro Lacrafo, ceterisque
summis viris cupide percontari soleo, narrare mihi
memini, Neque ea res Kirchio nostro fraudi est, ut opi-
nor. Satis hoc aduersus primam impetam tuam, nam
interim pacatione inter nos transigemus, ut tibi potius
ego credam, quam ceteris, et quod ceteris honoris tui
causa credidi, id meae in te pietati ut tribuas.
Bene habet, euasi. Altera subeunda est concertatio,
cum te Chronologorum nostri saeculi principem nun-
cupauerim. Hic ego vero pugnam dabo, neque cedam
loco, neque pedem referam, ac circumspiciam fugam,
victor per ora hominum volitabo. Numquid in me
Kohlreiffum aliquem concitabis? qui, ni habes machaera

foret, uno ictu me occideret. Sed neque illum ego metuo
neque tibi hoc in certamine quidquam concedam. Quaro
salus est arma illa ponere: nihil agis: obfirmavi ani-
mum, certoque et vero iudicio de te meo triumphans,
non patiar ut hio te moueas. Vide constantiam hominis!
Sed haec falsis: nam quis ita est infans, quin tuas
laudes, si aequus est, non praedicet, si iniquus, ^{non} sentiat.
Scriptum meum tibi placuisse, vehementer gaudeo.
Supplementum tuum ad Disquisitionem de cyclis Si-
nenfium cupidissime expecto. Ex Commercio meo si-
mil aliquid edi facile patior: metuo autem, ne mi-
hi haec res apud Academiam nostram aliquid mo-
lestiae pariat; attamen in tempore mihi met ipse non
deero. Immo ipsa illa de Sinicis numis differen-
tia defensione mea hic indigebit. Dicam uno ver-
bo: inuidi sunt nostri, neque ferre possunt, ut ex-
tra Petrapolim quidquam meorum laborum edatur.
Contra Societas Regia pari iure a me postulare
potest, ut officio erga se meo satisfaciam. Ergitur
interpretationem Orbis Coelestis Sinici tibi con-
spitui mittero. Credo enim, eam aliquam utilitatem
in publicum praestare posse, si tuo praesertim in-

genio iudicioque haec res a me permittatur. Sed quae
 tu dicit Orbis Caelestis folia octo, ut mappa sit 14 longa
 pedes, 5 pedes alta? Alia oblique editio illa est et forte
 auctore Ferdinando Verbiestio, cuius Globum Terrestrem
 possideo. Mea autem Globi Caelestis editio, elegantissima
 sane, multo est minor, factaque anno primo Tum Chim
 Imp. Cum hisce litteris interpretationis initium accipis.
 Pergam deinde et ad extremum labo operam ut 2000
 Cor ad te mittam Globi, in quo stellarum nomina gi-
 phris a me notari poterunt. Gratis sunt, quae de Me-
 moriis Freaultianis et Fournemino narras: cupio deinde
 etiam scire, quid futurum. Tu Thalde opus nondum
 nacti sumus, neque Fournemianum adhuc vidi. Fretus
 saepe me quam humanissime salutavit. Fournemii cur-
 ae amicitia mea, saepe excitata a me, refugiant, causasque
 non video. Quod autem in me p. 398. 436 reprehendere
 cum scribis, illud quale sit, cum librum nactus fuero,
 sentiam. Mihi res ipsa de Adamo, Eva, Noa perproba-
bilis visa fuit: sed potest fieri, ut graeco scrupulos
michi obiecerit Fournemius; quod si ita sit, laudabo,
sin aliter, confitear, mecum quod factu opus sit. Mu-
seum Siniicum, praesantissimae Vignali, plenum est fac-

disfimis erroribus, quibus pagina nulla vacat. Quid facerem.
Edidi ea, quae mihi magni confiterentur, ut alii iisdem
subleuati alacris sese attollerent. Patres S. F. Pequinenses
in caelum laudibus suis extulerunt Musaeum, magis tamen
Patres Galli, modestius Lusitani, seu politici P. Koegler.
Illi me incitabant vehementer, hi abferre sunt visi.
Subsidia miserunt, sed meliora Galli, in primis G. Parren
octogenarius. In his etiam est Petri Daneti Lexicon Si-
nice versus scriptumque, supra fidem elegantissime. Cum
igitur nulla post Musaeum editum nactus sum, exem-
plaria autem propemodum omnia sunt diuendita, de
noua editione cogitare coepi, quae multis modis erit
melior. Lexicon, quod confeci, multis locis in folio,
charta regia, spississimis, sufficere mihi solet ad in-
terpretationes. Quam vellem, ut iam exisset ex typo-
graphia nostra Musaeum Indicam. Primum in eo est
dissertatio mea de Regno Graecorum Baetriano, cuius
epocham ex numo Eueratidis constituisse tentavi.
2. R. Walthevi Doctrina temporum Indica,
libellus, qui se certe oblectabit. Est is ex Missio-
naris Franquebariensibus vtiq; doctissimus.
3. De Scribis et Sais 4. De Sincis veterum

Graecorum et Romanorum. Senties et in chronologia et
 in geographia quaedam, maiori in luce posita, alia nunc pri-
 mam producta. Proximo in conventu Academiae recensione
 Lexici quae grece recitabo, quae est satis proluxa sedque infidula
 et hic liber alius ad usum futurus sit aptior. Ita recensabo
 deinde Lexicon Thai pien. De geographia Sinica dudum alii
 quid edendum tradidi, sed Germanice scriptum. Ego hic in pro-
 mis de mappa globi terrestris a P. Ferdinando Verbiest
 1674. edita et mappa Japonica apud Hans Sloane, cuius
 particulam insignem ex apographo ad nos transmissi in-
 terpretatus sum. Ostendi eam descriptam esse ex mappa ali-
 qua Sinica, quam sub Dynastia superiori Muhammedani
 Astronomiae praefecti confecerint. Quaedam ex Claudio
 Ptolemaeo in eam traducta observavi. Illa autem Ver-
 biestii constat duobus hemisphaeris. Vnius cuiusque
 diameter est $4\frac{1}{2}$ ped. Rhenan. Accedit mappa alia am-
 plissima cum explicationibus Astronomicis, geographicis
 historicis. Ex hac denique cognovi, quemadmodum Gesi-
 lac Sinas in medio orbis terrarum locarint. Nam illa
 Mulleriana somnia istis in mentem non venerunt. Sci-
 licet, Hemisphaerium Americae primum est, in quo
 primae tabulae litterae ponuntur 輿 坤 Luën qu. Reli-
 quae 圖 全 cüen tui (Totum. Orbis terrae integra mappa)

in altero hemisphaeris exstant. Deinde primus meri-
dianus per Peguinum ductus est: numerando reliqui
per gradus aequaloris orientem versus, donec ambi-
tu confecto, ^{gradus} 360^{us} desinat iuxta Percinum. Hoc nunc al-
ter fit. Nam ut ex mappis Sinici imperii Peguini editis
intellexi, primus meridianus incidit in Peguinum
ab eo numerantur versus occidentem et orientem
donec in 180° gradu apud antipodes haec quasi hemi-
Sphaera concurrat. Dico non potest et verbis ex-
plicari, quae de Amp^{no} Farrigio mihi scribis. Nunc
non modo eum per se, sed te quoque in eodem colam.
Peto, ut cum salutes meo nomine. Metuebam ne fasci-
culus nimis fieret grandis, eo ad ipsum Speciatim non
scripsi. Ad epistolam ad Bourguetum illius fidei
et benevolentiae commendo. Nunc vale Petropoli
 prid. Kal. Octobres 1666 XXXVI

Ducantur duae lineae inde a principio et fine cuiusque
Signi Eclipticae, usque ad polos utrosque Eclipticae. Quaecumque
stellae intra has duas lineas continentur, eas ego sub eo
Signo cum Constellationibus Signi recensui.